

---

# Vladislao Abraham [dedicationen]

---

Collectanea Theologica 13/1-2, 1-2

---

1932

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej **bazhum.muzhp.pl**, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.



Wacław Brzozowski

# VLADISLAO ABRAHAM

## IN SIGNISSIME DOMINE!

Cum ad aures aliorum nuntius pervenisset Universitatem Joanneo-Casimirianam Te laurea theologica ornassee, in dubium vocabatur, quin usquam saeculis elapsis in patria nostra gradus doctoris scientiarum sacrarum alicui professori ordini theologorum non adscripto honoris causa collatus esset, sed inde sequebatur, ut theologi in tota Polonia dispersi tum hierarchiam gerentes tum litteris et scholis vacantes eo maiore gaudio afficerentur, quod omnibus persuasum erat Te meritissime hoc singulari honore auctum esse.

Si celeberrimus Ludovicus Pastor de historia Summorum Pontificum dilucidanda optime meritus sacrae theologiae doctor honoris causa creatus est, iustissime ordo theologorum Leopoliensis Te supremis suis laudibus affecit, quia non est inter nos, qui fama Tua elatus vehementer non laetetur Te illum principem scriptorum historiae catholicorum aequiparare, cum similem laborem methodo acutissima pro describendis rebus gestis Ecclesiae Polonae medii aevi perfeceris atque ille pro indaganda historia Ecclesiae universalis.

Per decem fere lustra cathedram iuris canonici obtinens, nihil antiquius habuisti quam ut inservires scientiae evolvenda, praeparares fundamenta quaestionum

iuridicialium et historicarum explicandarum, erudires discipulos hisce studiis addictos. Perspicuum et apertum est nihil magis esse in optatis hominis docti quam condere scholam scientificam, in qua spiritus eius inter posteros vivat, attamen raro inveniuntur, qui tali prospero successu glorientur, sed Tibi fortunatissimo contingit, ut DEO favente seminarium plantares numero parvum auctoritate gravissimum, quod e nomine Tuo schola Abrahamiana nuncupatum summa fama et existimatione apud nostrates et exteros utitur.

Quaerentibus vero nobis, qua causa motus totam vitam viribus indefessis applicaveris ad investigandam veritatem, qualis in vicissitudinibus fatorum Ecclesiae nostrae appareat, respondendum esse videtur amorem triplicem, quo pectus Tuum imbutum habes, scilicet VERITATIS ECCLESIAE PATRIAEC, Te incitasse, ut in documentis perscrutandis et libris componendis desudares. Unde non est mirum DEUM ET DOMINUM NOSTRUM, cum uti VERITATIS aemulus et servus dignus esses gratiae divinae, laboribus Tuis copiose benedixisse, ita ut fructus plurimos attulerint.

Qui praesunt Societati Theologorum Polonorum necnon qui moderantur Collectaneis Theologicis edendis, grates et laudes agunt Tibi

DOCTORI LAUREATO  
ECCLESIAE DEFENSORI FERVENTISSIMO  
PATRIAE DECORI

DATUM LEOPOLI DIE SS. CYRILLI ET METHODII MCMXXXII